

1768.

1. Klotzius, Christianus Faltpius: Nonnulla de ir'consuetudinibus.
2. Millerus, Ioh. Pet. Acad. De conjunctione animi cum corpore physica
3. Schulze, Iacobus Ludov: De praecipua numeris matem, quae regum populorum et urbium vocantur, abilitate
4. Klotz, Iohannes Ritterius: De harmoniae praestabilitate vera ratione, inventore et pretio.

1769

1. Heribterus, Philippus Tacitus: De expensis criminalibus in processu iugitationis.
2. Klotz, Christianus Faltpius: De vera indole histo- riae litterariae.

1770.

1. Faerber, Iacobus Christianus: Comparatio demonstrationis Parkerii pro existentia Dei cum illa, qua Anselmus Canticarius usus est.

2. Heisler, Phil. Fac. f: De decimis hebraeorum

3^a.^t Heisler, Philippus Leoben: De commendatore Leibonicus,
patrono ecclesiae, quae commendatione incorporata
est, non vulgari. 2 Band. 1770-1776

4. Krolzius, Christianus Argutus: De magistris neder
zine et Clarkianam nobilitam dignitatem uehementem
imperii.

5.^t Krolzius, Christianus Ralph: De iure jurae per
glasium

6^a.^t Nittelblatt, Daniel: De feudo decimorum quoad
pertinet et novales.

7. Nittelblatt, Daniel: De iuribus et obligacionibus
ex factorum oblatione descendantibus.

8^a.^t Nittelblatt, Daniel: De refusione debitorum feodalium
statutorum

9. Naesell, Joannes Augustus: *In orationem Christi Matthei*
C. 18. b. 159. De appendendo contuberniis que nullo min-
tiorum, qui crederunt in eum.

10. Semler, Joannes Salomon: *De jure principium circa
Sacra in primis Germinalia praesertim ex monumentis
secund. XI. derivata.*

1771.

1. Biedermann, August Andreas: *De jure reformati
territoriali: artibus religione in imperio P. G. recop-
tas hanc restricto et verba finetra est 7. P.O.*

2. Bachmerus, Philippus Adolphus: *Dissertatio in ang. merita,
sistens causas iurisdictionis impensis*

3. Carrack, Joannes Tobias: *De privilegiis circa commercia*

4. Hause, Carolus Renatus: *Origo atque vicissitudines
suffragii liberorum P.B. I. civitatum in constitutis.
ex 767 annis gestarum monumentis illustratae.*

5. Klotzius, Christ. Arreptus : De apificiorum signobilitate
in aui et novis
6. Klotzius, Christ. Arreptus : De barangio in aula
Byzantina multilambibus.
7. Rerig, Henricus Joannes Ulls : De officiis facturis
juriis Romani circa donationes inter vivos et
mortuos.
8. Martin, Georgius Samuel : De validitate testamentorum
non recte oblati.
9. Mangelsdorfus, Paul. Ehregott : De consacramentis
origine aua Germannica, communque iure uera
ac natura, ~~ad hanc~~

DISSE^{lbe}
TATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIFFERENTIIS MORBORVM
QVAE
CONSTITUTIONI EPIDEMICAE
DEBENT VR

1768, 12

QVAM
INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BUCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH. H. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPLEIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS
D. XIX. DECEMBR. A. R. S. CLO ICCC LXVIII.

PUBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES GOTTLIEB HINCKE
VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

11. 7. 20. 9 - 18

DIESSESTATIO TAVAGARVIA MEDICIA

DE

DILEXENSIS MORBORVM

CONSTITUTIONI ERIDIMICAE
LIBERI

LETTICIA

1710

INDIVITA

GRATIOSI MEDICORVM EXEMPLIS

IN ALMI REGIA LIBRARIA

EX LIBRIS

DANDRA SITIA DACHNERO

PROGRADIA DOCTORIS
TOMVS I
SVMMA IN MEDICINA HISTORICA
ET LITERARIA DOCTORIALES ETIUS SONORAVIMUS
DIXIT PROFESSORIS DACHNERI
PROGRADIA DOCTORIS

PROGRADIA DOCTORIS

SUMMA IN MEDICINA HISTORICA
ET LITERARIA DOCTORIALES ETIUS SONORAVIMUS
DIXIT PROFESSORIS DACHNERI

JOANNES COTTIERI MUNKE

PROGRADIA DOCTORIS

JOANNES COTTIERI MUNKE

VIRO INVALDE
PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO
CAROLO SIGISMVNDO
BRVNSCHWITZ,

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO
IN VRATISLAVIensi CIVITATE CELEBERRIMO,
DOMINO IN HOEFFCHEN,

COGNATO SVO

AD CINERES VSQVE SUMMO HONORIS ET OBSERVANTIAE
CVLTU PROSEQVENDO ET DEVENERANDO,

SPECIMEN HOC IN AVGVRALE

LALMOSILLISSIMO EXPERIMENTISIMO

CVM VOTO OMNIGENA PROSPERITATIS

ALVÆ DOCTISSIMO

DOMINO

IN DEBITAE VENERATIONIS

CAROLO SIGISMUNDO

ET OBSERVANTIAE TESSERAM

BRAUNSCHWEIG

EA, QD. M. 1744.

QD. M. 1744.

QVA DECET, MREVERENTIA

QVA OTNIS

D. D. D.

IOANNES GOTTLIEB HINCKE.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
DIFFERENTIIS MORBORVM
QUAE
CONSTITVTIONI EPIDEMICAE
DEBENT VR.

§. I.
Occasio Scripti.

Et ea morborum epidemicorum ratio, vt insignes plerique, quando obueniunt, inter homines edant strages, atque nonnumquam plus quam duas hominum tertias letho tradant. Hinc ab hominibus adeo famosi, adeo terribiles habentur saepe, vt eorum caussas in iratum Numen coniiciant; DEVVM precibus, quibus sua ablucere peccata nituntur, sollicitent; medicae arti

A 3

in

in his abigendis longe minus, quam in reliquis aegritudinibus sanandis, fidant, atque morales magis, quam physicas eorum caussas existere statuant. Qui haec recte perpendit, mirabitur certe, naturam morborum epidemicorum adeo plerumque in scholis Medicorum manca ratione exponi, ut, si a definitione istorum morborum et nonnullis eorum causis strictim prolatis discesseris, vix quidquam notatu dignum de iisdem legas. Quod equidem minus probandum. Finis enim Pathologiae medicae in eo potissimum consistit, ut ad discendae medicae scientiae dedito fontes limpidissimi aperiantur, e quibus morborum curandi methodus deriuari queat. Ista ergo morborum circumstantiae, quae plane singulare quid continent, quae generi humano saepe detrimentosae eveniunt, frequenter nihilo minus occurrentes, quae demum proxima diligentia non facile deteguntur, istae, inquam, morborum circumstantiae, quae exponantur in vera Pathologia, prae ceteris dignissimae sunt. Nunc autem morbis epidemicis haec omnia insunt. Nonne itaque quam maxime mirandum, quod generalis eorum paullo exactior doctrina ut plurimum negligatur? Fieri quidem non potest, ut Pathologus omnes, aut plurimas saltim epidemias describat, cum partim non omnes epidemiae notae sint, partim necessaria Pathologiae, quae elementa tantum tradit, breuitas amplam illam non admittat descriptionem: eo vero magis necesse esset, ut generalis epidemiarum Theoria, per congrua exempla

exempla illustrata, proponatur, satis apta; e qua, si assidua Observatorum lectio accedat, exactiorem morborum epidemicorum cognitionem iunior sibi Medicus comparare queat. Atque id eo magis necessarium esset, quo certius per experientiam constat, abuti non raro Observatores suis circa hanc illamue epidemiam collectis obseruationibus. Haud infrequenter enim accidit, ut Medici, qui morbi cuiusdam epidemiam delinearunt, hinc generatim morbi naturam dimentiantur, credentes, id, quod in morbo isto epidemico obtinuit, ad naturam morbi semper pertinere, medelamque illam, quam ytilem obseruant, optimam esse, et ita comparatam, ut nunquam ab ea recedere Medicum oporteat, cuius rei tamen contrarium optimus iam notauit SYDENHAMVS. Plura addere possem, quae necessitatem huius theoriae docent, quaeque incitarunt me, ut de *Differentiis morborum, quae constitutioni epidemicae debentur,* differere constituerim; sufficient tamen praedicta, reliqua passim ex infra dicendis sponte patebunt.

§. II.

Morborum differentiae.

Qui naturam sanitatis bene intellectam habet, cunctaque simul, ne symptoma cum morbo confundat: concedet is facile, *morbum* ponere mutationem solidorum et fluidorum internam, quae leges sanitatis laedit. Ista autem partium nostrarum mutatio, quam *morbum* dicimus, varia est et mul-

multiplex. Quare cum in morbis ideo pluralitas atque diuersitas obtineat, praedicata quoque adesse debent, per quae morborum vnuſ ab altero distinguitur. Atque ita praedicata constituunt id, quod *morborum differentias* nominamus. Sic febris celeritatem sanguinis, in circulum sese mouentis, iusto maiorem; apoplexia compressionem, aut huic similem sensorii communis mutationem; spasmus denique auctam irritabilitatis actionem sibi vindicant. His autem ipsis praedicatis hi morbi a se inuicem aliisque distingui possunt. Continent ergo differentias morborum quos dixi. Differentiae morborum, ex vulgari inter Pathologos recepta diuisione, in essentiales abeunt et accidentales. *Essentiales* nuncupantur differentiae, quae numquam a morbo abesse possunt; quae vero differentiae, illaſea morbi essentia adesse aut abesse possunt, vocantur *accidentales*. Motus sanguinis iusto celerior non ſolum febris est differentia, ſed essentialis quoque, cum illud praedicatum, ſalua manente febris essentia, numquam desiderari debet. Quod vero febris exanthematicis ſtipata incedere queat, praedicatum quidem eſt, quo febris distinguitur a morbis numquam exanthematicis; cum tamen febris essentia ſalua maneat, ſiue exanthematica fuerit, ſiue non exanthematica: differentia febris inde proficiens non alia eſt, quam accidentalis. Sic etiam validior atque inuita irritabilitatis actio differentiam ſpasmi essentialeſ ſiſtit; quod eius vero cauſa aut frigida aut calida eſſe queat, non niſi acci-

accidentalem morborum spaſticorum differentiam inducit. Ex praedictis facile conſtare potest, 1) quidquid morbos diuersos reddit, posſe pro differentia morborum reputari; 2) per differentias suas modo ab aliis, modo a ſe iplis, ſi differentiatione exiſtant, illos diſtingui. Sic differentiae febris ita comparatae ſunt, vt eam non tantum ab aliis morbis, qui non ſunt febres, diſtinguant, ſed vnam etiam febrium ſpeciem ab alia. 3) Differentias morborum interdum eſſentiales et accidentales simul eſſe poſſe, ſed diuerſo reſpectu. Ita benignitas et malignitas morborum ad accidentales referunt illorum differentias, pectis tamen ex ſua natura et eſſentia eſt morbus malignus.

§. III.

Morbi epidemici et conſtitutio epidemica definiuntur.

Graffatur morbus, quando multos, qui in ſuo loco aut regione vitam degunt, simul comprehendit. Qui morbus inſolentior graffatur, *epidemicus* vocatur, ab *endemio* et *sporadico* adhuc diuersus, cum endemius graffetur quidem, non tanten inſolens ſit, sporadicus vero, qua talis, ſine graffatione compareat. Ita diiudicauit SYDENHAM (*Oper. omn.* p. m. 64.). *Epidemia* ergo erit morbi inſolentioris graffatio. *Conſtitutio epidemica* SYDENHAMO dicitur *modo* qualitas iplis epidemiac, *modo* qualitas certa illius cauſae, quae prodiuit epidemiam, quaque fit, vt hic potius, quam alijs morbus epidemice graffetur. Quando SYDENHAM

B

MVS

MVS l. c. p. 27. constitutionem epidemicam annorum 1661, 62, 63, 64, delineat, non aëris adeo naturam, quae ipsis annis Londini obtinuit, describit, quod superuacaneum Ipse met dicit (l. c. p. 22.), sed ipsos morbos epidemicos eorumque, quo sese exceperunt, ordinem. Manifesto ergo hic per constitutionem epidemicam intelligit qualitatem epidemiae. Non raro vero de aëris etiam (in quem morborum epidemicorum ortum reiicit,) epidemica constitutione loquitur, aperte simul innuens, id, quo aëris epidemiam excitet, a generalioribus aëris qualitatibus, calore nempe et frigore, toto coelo differre, occultamque ponere et hominibus inaccessam aëris diathesin. Tuncque vero praedictae voces de qualitate illa singulari, qua causa epidemiae morbum epidemicum suscitat, sumuntur. Nos vtrumque horum verborum significatum retinemus, quando de differentiis morborum, quae constitutioni epidemicae debentur, verba im- præsentiarum facimus.

§. IV.

Morbi stationarii et intercurrentes.

Difficilior paullo est, quam stabiluit SYDENHAMVS, morborum, qui sub epidemia quadam comparent, diuisio. Distinxit eos in stationarios et intercurrentes. *Stationarios* vocavit eos, qui, regnante certa quadam constitutione, praeceteris eminent; si vero morbis, quos constitutio epidemica maxime genuit, alii passim accedant, illorum naturae parti-

C.

cipes: hos *intercurrentes* salutauit. Veritatem harum definitionum doceat nos *Ipsé SYDENHAMVS Cap. II. p. m. 22.* *Variae*, inquit, sunt annorum constitutiones, quae neque calori, neque frigori, non sicco humidoue ortum suum debent -- *Vnaquaque harum constitutionum generalium propria ac peculiari sibi febris specie funestatur, quae extra illam nusquam comparet, cuiusmodi febres idcirco stationariae nobis audiunt.* Dein ita pergit: *Ad haec sunt et particulares quaedam eiusdem anni, ut ita dicam, crasæ, in quibus licet secundum manifestas aëris qualitates, eiusmodi febres, quae generaliorem anni constitutionem sequuntur, magis minusue epidemicè graffentur, vel serius oxyusque ingruant; præ ceteris tamen eiusmodi febres, quae omnibus in uniuersum annis competunt, (quas ideo intercurrentes voco) ab hoc illoue manifesto aëris temperamento ortum ducunt --* *Se&t. VI. Cap. I. pag. 159 seq.* haec habet: *Observationes annorum - satis arguunt, febrium alias stationarias merito audire, eiusmodi febres intelligo, quæ, cum a particulari quadam, at nondum satis cognita huius aut alterius anni constitutione pendeant -- . Sunt vero et aliae febres continuae, quae, licet iam parcus, iam inclementius faciunt et depopulentur, tamen cum stationiarum quibuslibet, ut etiam et secum inuicem, eodem anno indifferenter commiscentur, quas idcirco intercurrentes appellandas censeo -- Porro: Animaduertendum est, quod, sicut febres stationariae*

magis minusue epidemicē infestant -- ita etiam intercurrentes hae nonnumquam, licet non tam frequenter, quam istae, epidemicē graffentur -- . Demum: At vero diligenter hic loci notandum est, quod, licet morbi isti, qui sub intercurrentium titulo iam mīki tractandi veniunt, plerique, si non omnes, essentiales fuerint morbi, saepenumero tamen affectus quidam, tum eos quoad phænomena referentes, tum eodem etiam insigniti nomine, istis febribus superueniant, quas stationarias appello, et sunt nuda earum symptomata. Quo in casu non iam illa methodus adhibenda est, quae iis debetur, quoties morbi sunt essentiales, at ista potius, quam postulat febris, cuius nunc sunt symptomata, ad quorum quidem curationem ea leviter tantum inflectenda est e. s. p. Confer. quoque l. c. pag. 21. 315. Ex locis hisce allegatis colligi potest, 1) morbos, quos intercurrentes dixit SYDENHAM, modo sporadicos esse, modo epidemicos; 2) stationarios semper esse epidemicos. Quare hos quoque generatim epidemicos dixit (pag. 21.), intercurrentes vero, cum illis infrequentius epidemicē graffentur, sporadicos (pag. 21. 315.). 3) Posse ergo morbo stationario intercurrentem, sive spora, dice, sive epidemicē accedere; 4) eminere tamen tunc stationarium. Dicit enim SYDENHAM de febribus stationariis (l. c. pag. 159.): *Singulae suo ordine inualescent, graffantur admodum, et quasi caeteris dominantur per continuam illam annorum seriem.* De morbis autem intercurrentibus (l. c. pag.

pag. 21.), qui cum a causa, inquit, magis generali non producantur, ideo neque plures simul corripiunt. 5) Intercurrentem tunc solere naturam istius stationarii induere. Ita voces SYDENHAMI intelligit Illustr. de HAEN (*Division. Febr.* pag. 102.), atque suis etiam obseruatis corroborat. Ipse tamen Illustr. de HAEN exemplum quoddam morborum intercurrentium adferit, quod SYDENHAMI sententiae oppositum esse videtur (l.c. pag. 108.); angina enim et scarlatina, licet fuerint morbi intercurrentes, adhibita morbo stationario medendi methodo tamen non mutabantur. Ut dubium hoc soluatur: notandum, morbum intercurrentem posse sub epidemica quadam constitutione comparere, vel ideo, quod ad eandem epidemiam pertineat, vel eam ob causam, quod eius causa tempore tantum cum epidemia morbi stationarii connexa sit, seu, ut cum SYDENHAMO loquar, morbus intercurrens vel symptoma tantum est stationarii morbi, vel essentialis morbus. Si prius: naturam morbi stationarii; si vero posterius: propriam suam indolem habebit. Quare si quid ego iudicare valeo, sententia SYDENHAMI non convergere videtur, ac si morbus intercurrens naturam stationarii *semper* haberet; potest enim, ut essentialis morbus, cum epidemico sub certa quadam constitutione coniungi, quod omnino observationes comprobant. Quando autem ad eandem cum stationario epidemiam pertinet, id est, quando a causa constitutionis epidemicae *simul* producitur tunc

sine dubio naturae morbi stationarii erit particeps. Atque hoc respectu tantum definiuimus morbum intercurrentem, cum, si ad epidemiam proprie non pertineat, nostra hic consideratione indignus sit. Exempla morbi stationarii et intercurrentis, qualem definiuimus, SYDENHAMVS plura suppeditat, et Illustr. de HAEN ea collecta tradidit et auxit I. c. Vnicum afferam. Quando morbilli epidemicē grassantur, dysenteriae nonnunquam, ex translata materia febrili ad intestina, oriuntur. Hinc morbilli morbum stationarium, dysenteriae contra ea morbum intercurrentem repraesentant.

§. V.

Morbi vernales et autumnales.

Alia morborum epidemicorum diuisione vtitur SYDENHAMVS, tam in prognosi epidemicorum, quam in curatione eorum instituenda, bene obseruanda. Abeunt nempe in vernales et autumnales. *Vernales* sunt, qui aut ipso vere oriuntur, aut tempore ei quam proximo; *autumnales* dicuntur, qui ad autumnum ita spestant, vt vernales ad ver. Ipse SYDENHAMVS haec verba ita interpretatus est (I. c. pag. 23): *Quamuis, inquit, fieri possit, vt alia qualibet anni tempestate subnascantur, ad illam tamen sunt relegandi, ver autumnusue fuerit, quam proxime contingant: accidit enim nonnunquam, aeris temperiem cum epidemicorum aliquo in tantum conspirare, vt, eo fuitore, ante tempus sibi debitum miseris inuidat, et e contra est, ubi tam parum illis inter se con-*

conuenit, ut corpus praedispositum non nisi aliquamdiu post aggrediatur. Cum itaque ver dico vel autumnum, non de ipso statim aequinoctio, sive verno, sive autumnali, ad annus sim loquor. Ceterum tempus durationis tam vernalis, quam autumnalis grassationis epidemicae, varium est, cum enati morbi epidemici, tam vernales, quam autumnales, modo citius iterum sese, modo tardius subducunt (SYDENHAM l. m. c.).

§. VI.

Generalia quaedam de natura morborum epidemicorum.

Sequitur ut generalia quaedam de morborum epidemicorum natura proponamus, ad differentias tamen morborum, quas epidemica constitutio infert, minus attendentes. Atque ista quidem ad haec redeunt: I. *Morbi epidemici, longioris imprimis durationis, manifesto plerumque successiue increscunt, atque etiam decrescent, ut principium, statum et declinationem eorum optime distinguere possis.* Hoc volumus: Morbi epidemici plerumque tamquam sporadici et levius incipiunt (*principium* eorum), dein successiue increscunt quod copiam hominum attinet morbique grauitatem (*incrementum*), usque dum maximum hominum numerum grauissime adfligant (*status*), denique iterum et multitudo aegrorum et grauitas morbi epidemici decrementum patitur (*declinatio*), postremo morbus plane abit (*finis*). SYDENHAMVS adeo de huius rei veritate conuictus fuit, ut fere aet-

ter-

ternam naturae legem fecerit. Loco enim citato pag. 23. non solum tempora morborum epidemicorum manifesto distinguunt in principium, statum et declinationem; sed addit quoque: *Epidemicorum, qui verno tempore gravantur, alii mature admodum se ingerunt, mense scilicet Januario, et exinde pedetentim increbescentes, circa aequinoctium vernale ad statum perueniunt, a quo sensim innuiti, circa solstitium aestivum enanescunt, nisi quod paucissimi postea forsitan hunc illumue tetant --. At vero ali vvere orti et de die in diem inualescentes, non nisi sub aequinoctium autumnale statum adipiscuntur, quo praeter lapsus paulatim cedentes, tandem aduentante brumali frigore vertuntur in fugam --. Atque idem l. m. c. circa autumnales obseruauit. Cholera, inquit, morbus ex epidemicorum autumnalium familia mense Augusto exorsus, intra angustos eius mensis cancellos conclusus, percurrit sua tempora; sunt tamen alii, qui, eadem tempestate prognati, usque ad hyemem excurrunt.* Cap. III. p. 27. exemplum habetur. *Anno 1661. inquit SYDENHAMVS, febres autumnales intermitentes, quae iam ab aliquot retro annis obtinuerunt, de novo vires redintegrabant sub initio Iulii, et quotidie increbescentes, mense Augusto quam immannissime debacabantur, inque multis locis, correptis fere integris familiis, maximam bovinum stragam edebant; deinde vero sensim decrescentes, superueniente hyemis frigore extinetae sunt, per paucos Octobri mense aggressae. Quae obseruauit*

vavit SYDENHAMVS, obseruarunt et alii, qui morborum epidemicorum descriptionem dederunt, et quiuis obseruare potest, quando morborum grassationes obueniunt. Ipsa pestis, dirissimus alias morbus, quiue facile sese propagat, hanc solet legem seruare. Fatendum interea II. nonnumquam, licet rarissime, ita morborum epidemicorum tempora non adeo accurate distingui posse. Atque huc pertinet famosus HVXHAMI locus: Variolae iam drepente factae sunt epidemicæ, eaeque male moratae et saepe lethales. Quo loco Illustr. de HAEN contra variolarum insitionem vtitur (*Resusat. de l'Inoculat.* pag. 113.). Solent enim ii, qui variolarum insitionem commandant, affirmare, epidemicum tempus minus aptum esse, quo insitio suscipiatur. Illustr. Itaque de HAEN, ex ista HVXHAMI obseruatione concludit, numquam inoculationem suscipiendam esse, cum de epidemia variolosa, repente oriunda, nullo tempore satis securus esse queat Medicus. Vide, quae ea de re notauit pluribus clariss. HENSLER (*Briefe über das Blatterbelzen* Th. II. pag. 25 seqq.). Hic vero notasse sufficiet, raro id admodum contingere, cum HVXHAMVS, qui epidemias morborum ab anno 1728-1748. descripsit, duo tantum exempla epidemiarum variolosarum, subito erumpentium notauerit. Ica saltim Illustr. de HAEN: *Observons ici en passant, que c'est la seconde fois, que l'Auteur (HVXHAM) a remarqué une épidémie, qui naît tout à coup et dans une temps, où il n'y avoit point auparavant de*

C

petite

petite verole (l. m. c.). Verum ne duo quidem sunt exempla, sed *vnicum* tantum. Quae enim pag. III. habet de HAEN: *mais il la trouve rendue subitement très commune au mois d'April*, non ita leguntur in HVXHAMI Scriptis. Dicit potius hic (*Oper. physico-medic.* Tom. I. pag. 81.): *Iam morbus inter eos evanescit. Variolæ* — quae certe verba numquam ita interpretari oportuisset Illustr. de HAEN, ut subitam factam fuisse epidemiam innuant. Vicuperavit id iam clarissim. HENSLER l. m. c. pag. 19. Quodsi vero adeo raro istae morborum epidemicorum inuasionses subitanæ obueniant: insito ideo variolarum non semper cuianda erit. III. *Plures morbi epidemicici uno eodemque tempore grassari possunt.* Saepius id testatus est in Scriptis suis SYDENHAM. Sic v. g. pag. 25. l. c. postremo, inquit, *obseruandum est, quoties constitutio aliqua varias epidemicorum species parit, singulas has species genere ab aliis differre, quae cum idem plane nomen sortiantur, alia tamen constitutione generentur.* Neque haec de intercurrentibus tantum valent, quatenus vna cum stationario (§. IV.) epidemicæ grassantur, sed sieri quoque potest, vt plures stationarii compareant, quod forsitan exemplum Illustr. de HAEN (§. IV.) docet; videtur enim scarlatina tunc stationarius morbus alter fuisse, qui praeter febrem epidemicam contingebat. IV. *Initium alias morbi epidemicici, finis esse solet prioris* (SYDENHAM l. c. pag. 24. 25.). Denique V. *qui siluit morbus epidemicus*.

demicus paululum, nonnumquam iterum, elapsò aliquo tempore, ingrauescit. IDEM pluribus in locis, v. g. pag. 27.

§. VII.

Cauſſae morborum epidemicorum.

Cauſſae morborum epidemicorum proximae in generali hac constitutionum epidemicarum consideratione attendi non debent, cum vix generatim proponi possint, pro differente morborum epidemicorum natura diuersae. De remotis ergo cauſſis vnice hic loquimur, quae, si praecipuas respicias, (nam praedisponentes internae non videntur plane omitti debere, cum partim non omnes homines ab epidemicō afficiantur, quae cauſſis tamen eius sese exponunt, partim quidam epidemicī manifesto cauſſam praedisponentem sibi vindicent, v. g. variolae,) vere *externae* sunt. Cum enim morbus epidemicus insignem hominum numerum adfligat; homines autem adeo a se inuicem differant, vt numquam, si corpora eorum tantum respicias, recte concipere possis, vni eos eidemque morbo sua natura subiici posse: sequitur, palmariam cauſſam morbi epidemicī externam esse debere, ita tamen comparatam, vt in plures homines suam exferat actionem. Quodsi nunc huius farinae cauſſas, quas agere ita in corpus humanum ipsa nos docet experientia, attendas: non nisi triplicem inuenies, contagium, aërem, cibum et potum. I. *Contagium.* Cum enim morbi contagiosi semetipſos propagandi facultate gaudeant; nullum est dubium,

um, quin ex sporadico eiusmodi morbo contagioso epidemius fieri possit; si modo materia ipsa contagiosa eius sit indolis et tenuitatis, ut facile ad alios ferri queat. Optimum huius rei exemplum subministrat pestilentialis morbus, qui ad nostras regiones solo contagio transfertur, eoque etiam solo sese propagat. Si recentissimum CHENOTI libellum *de Pe-
ste* legas: videbis, qua ratione pestilentiale seminum magis
magisque pomeeria sua extendit, usque dum innumeros ad-
flicxit homines. Plurimi quoque morbi epidemicci sunt con-
tagiosi, licet non omnes. II. *Aer*, cuius rationem vnicce ha-
buit SYDENHAMVS. Cumque aer fluidum sit, quo omnes
homines nati vtuntur, patet quoque, vniuersales et nocuas
illius qualitates non posse non morbos epidemicos producere.
Præterea, ut eo minus de aeris in generandis morbis epi-
demicis potestate dubites, perpendendum est, ipsa contagia,
ut sese propagent, certis debere aeris qualitatibus adiuuari,
quibus absentibus vel plane non, vel difficulter morbus con-
tagiosus ad plures migrat, seque ipsum epidemicum reddit.
Plures autem sunt aeris nocuæ qualitates, quae huc per-
tinent; tribus ergo de iis loquar. Spectat huc 1. *aer nimis cali-
dus*, qui fluida commouens, solida irritans, liquida corrum-
pens, inflammationes, febres putridas producit. Tunc vero
maxime hos morbos excitat, quando corpus vehementius
refrigeratur, quo ipso, ne excernantur impuritates, impedi-
untur. 2. *Aer nimis frigidus*, quo fluida densantur, solida
con-

contrahuntur, excretiones sufflaminantur. 3. *Aér humidus*, qui solida laxat, fluida corrumpit, excretionem cutaneam suppressit. *Aér calidus humido accedens*, has noxas adiuvare obseruatur. 4. *Mutationes aëris celeriores*, v.g. quando magnum calorem aëris insigne frigus excipit. Subitanæas enim mutationes corpora humana non facile sine summo detrimen-
to perferunt. 5. *Aér putridis exhalationibus repletus*, corporis humani fluida in putredinem resoluens. Pessimæ hinc obseruatae sunt dysenteriae atque febres intermittentes et pu-
tridae. 6. *Incognita aëris diathesis*: Hanc maxime vrget SYDENHAMVS. *Quamuis autem*, inquit (l.c. pag. 22.), di-
uersas diuersorum annorum habitudines, quoad manifestas aëris qualitates, maxima, qua potui, diligentia notauerim, ut vel exinde caussas tantæ epidemicorum vicissitudinis expi-
rer, me tamen ne nihilum quidem hacenus promoueri sentio;
quippe qui animaduerto annos, quoad manifestam aëris tem-
periem sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari, et vice versa. Ita enim res se habet. Va-
riæ sunt annorum constitutiones, quæ neque calori, neque frigori, non siccō humidique ortum suum debent, sed ab oc-
culâ potius et inexplicabili quadam alteratione in ipsis ter-
ræ visceribus pendent, unde aer eiusmodi effluviis contami-
natur, quæ humana corpora huic aut illi morbo addicunt-. Confer. quoque Schedul. monitor. de nov. febr. ingressu (l.c.
p.m. 354.). Atque sic quidem videtur SYDENHAMVS omnes

morbos epidemicos ab incognita aëris diathesi repetere, vnde et factum, ut iis, qui SYDENHAMVM sequuntur, fere ridicula res videatur, si Medici tempestatum vicissitudinem accurate notant. Interea nec SYDENHAMVS forsitan incognitam illam diathesin semper accusat, cum epidemias morborum intercurrentium largiatur, hos vero a manifestis aëris mutationibus deducat, nec, si eo etiam SYDENHAMI sententia vergeret, male agunt ii, qui aëris vicissitudines accurate notant, cum sic SYDENHAMI sententia vel corrigi, vel confirmari optime queat, id quod eo magis necessarium mihi esse videtur, quo certius est, quod SYDENHAMVS specialia obseruata hac in re non communicauerit. Quod rem ipsam attinet: fatendum omnino, dari epidemias, quas incognita aëris diathesis excitet, cum ex manifestis saepe aëris mutationibus morbi epidemicci origo satis apte explicari non possit. Sic variolæ nonnumquam, alias morbilli epidemice grassantur, non obseruabis tamen saepe, aëris manifestam temperiem differre. Ita etiam catarrhales interdum febres grassantur, cum aër, quoad manifestas qualitates, vix ab eo differat, sub quo alii morbi epidemicci grassantur. III. *Cibus et potus*, quorum praecipue defecitus et qualitates attendi debent. Ex defecitu eorum morbi saepe putridi epidemicci oriuntur; qualitas vero vitiosa varios morbos epidemicos, v.g. spasmos, inducit. Ex his ceterum disputatis ortus morborum epidemicorum tempore vernali et autumnali fre-

frequentior perspicitur; intelligitur quoque, causam morborum epidemicorum proximam plerumque vel inflammatoriam esse diathesin, vel corruptionem fluidorum; ratio etiam hinc pater, quare, cum eo tempore aër soleat esse inclemens, autumnales peiores vernalibus, illique prae his curationi magis, si cetera eadem sint, resistant? Non plura de his dicam, cum res ipsa ex antecedentibus facile deduci queat. Quare vero morbi epidemici plerumque successione nascuntur, et decrescent (*§. anteced.*)? 1. Quoniam contagium successione sese propagat; 2. quoniam sub initium epidemiae maxime debiles, dein etiam robustiores afficiuntur, plerisque saltim in casibus; 3. quoniam natura in determinandis etiam morbis numquam saltum committit; 4. quoniam raro videntur tam multae et graues epidemiarum causae coniunctim ab initio adesse, et subito eam oriri oportet. Cum vero hoc non plane impossibile sit: patet, quare nonnumquam epidemia subito erumpat.

§. VIII.

*Differentiae morborum, quae epidemiae debentur.**I. Epidemias nos parit morbos.*

Perspectis nunc generalioribus quibusdam momentis, quae ad morborum epidemicorum divisiones, naturam et causas spectant: sequitur, ut de ipsis morborum differentiis, quae constitutioni epidemicae debentur, differam. Atque primo quidem hic notabile illud momentum occurrit, quod

epi-

epidemia nouos plane morbos inducere possit. Oriri hinc veram morborum differentiam, nemo diffitebitur, cum noui morbi differant ab iis, quos prior aetas genuit, omneque id morborum praedicatum, quo differunt ab iis, *differentia morborum* dicatur (§. II.). Restat itaque, ut ex obseruatis ostendamus, epidemiam non raro nouos plane morbos Medicis ostendere. Videtur quidem SYDENHAMVS hunc morborum epidemicorum ab aliis omnibus diuersum characterem stationarii tribuere, his verbis: *Vnaquaeque harum constitutionum generalium propria ac peculiari sibi febris specie funestatur, quae extra illam nusquam comparet, cuiusmodi febres ideo stationariae nobis audiunt.* (l. c. pag. 22.); haec vero verba non nouitatem, sed alias morborum epidemicorum differentias respicere, suadent ea, quae l. c. pag. 24. habet. Innumera autem dantur morborum epidemicorum, qui noui fuerunt, specimina. *Variolae* huc pertinent. Quidquid enim de earum antiquitatibus statuatur: id tamen certum est, plurimas quondam regiones ab iis immunes fuisse, quas tamen nostro tempore adoruntur atque depopulantur; constatque ex recentioribus quoque obseruatis, regionem, quae numquam morbum variolosum viderat, eo infestari, quamprimum minima contagii pars illuc deferatur. Epidemia ergo variolas certo certius regionibus plurimis, ut nouum morbum intulit. *Purpura* idem manifesto docet (ALLION de Miliaribus Cap. I. et Cap. XI.). *Lues ungarica* non minus.

Eius

Eius mōrbi Veteribus inauditi, originem descripsit RVLAN-DVS in Tract. de Morbo vngarico recte cognosc. et feliciter curando, Lips. 1610. pag. 378. seqq.). *Hic morbus*, inquit, *a loco denominationem sortitus est. Expeditione enim - contra Solimannum, Turcarum Imperatorem a Maximiliano II. anno 1566. suscepit - in Vngaria innotuit.* Castris ad Comoram coepit pestis, iunctis ad Jaurinum incrementa suscepit, ex-aucturato et hinc inde dilapsò milite, saeuissimus factus, tunc eum per seminaria distributum est contagium, Germanis, Belgis, Burgundis, Italis, Bohemis communicatum &c. Eadem ratio est Sudoris anglicani. Is enim seculo decimo quinto exorsus in Anglia, plures demum regiones deuastauit. Vid. celeberr. HARTMANNI Diss. inaug. de Sudore vnius lateris. Hal. 1751. Scarlatina forsitan merito quoque hoc referenda est, quae in regionibus quibusdam epidemicè primum obseruata, latius dein serpit. Confer. clariss. PLENCIZ Oper. medico - phys. Tract. III. de Scarlatina. De tussi conuulsiva epidemica infantum idem tenendum. In Gallia enim primum comparuit, anno 1414. epidemicè grassans (Illustr. de ROSENSTEIN Abhandl. von den Kinderfrankh. pag. 327.). Lues venerea, Scorbutus, morbus cerealis, pluresque alii morbi, Veteribus ignoti, candem veritatem comprobare possunt. Licet enim fatear, supereisse, quod nonnullos istorum morborum attinet, dubia, quae suadere dicuntur, eos cognitos iam fuisse Veteribus: tamen, cum vel unico ex adductis exemplis concessio, satis de veritate asserti nostri constare possit, dubia ista impraesentiarum non

D

curo.

curo. In hoc autem nouorum morborum exortu id maxime memorabile est, quod morbus, quem epidemia nouum introduxit, possit dein sporadice contingere. Purpura v. g. Ut ideo eiusmodi noui morbi epidemia videatur hominum corpora eorumque ad morbos dispositionem mirifice mutare. Si demum caussam quaeras, qua fiat, ut epidemia nouos generare queat morbos: plurimis quidem in casibus ad singulare quoddam, quod cibo, potui, aëri, et contagiosae materiae inest, fugiendum erit, ut tamen suam etiam partem tribuas 1) celeriori sub epidemia materiae contagiosae propagationi. Quo plures enim a morbo contagioso nouo afficiuntur: eo facilius ad regiones dissitas propagari potest. Lues certe venerea, tamquam nouus morbus adeo multis regionibus certe non illatus fuisset, nisi ea ipse tam insignem hominum numerum corripuisse. 2) Hominibus quatenus diuersas repertunt regiones. Sic Lues yngarica numquam forte adeo late propagata fuisset, nisi militis pugnantis varia fuisset patria, cui eadem dein lues, illo redeunte, contagii ope inferri debat. 3) Dispositioni hominum. Quamuis enim totus ab ea sententia absim, ac si essentiales corporis humani conditiones mutari, temporis mora, possint, quale quid sine manifesta contradictione statui non potest: a veritate tamen minime alienum erit, si credamus, pro ciborum, potuum, morum, aliarumque circumstantiarum diuersitate, hominum dispositionem ad hos illosue morbos increscere aut decrescere posse, id quod vel ex eo patet, quod varii morbi, quos aetas maxime e nostra aetate remota, vidit, vel plane eu-

nuere

nuere, vel longe tamen infrequentiores obseruantur. Quare etiam pro diuersa hac corporum humanorum dispositione fieri potest, vt varii et noui generentur morbi. 4) Gradui illius caussæ, quae epidemiam produxit. Sic si plures et grauiores, quam vñquam fuere, putredinis caufæ nascantur: nouus oriri potest et a quondam obseruatis diuersis morbus, cum pro gradu putredinis varii soleant morbi putridi enasci.

§. IX.

II. *Epidemia symptomata morborum cognitorum mutat.*

Hanc maxime differentiam SYDENHAMVS innuit in loco, quem §. anteced. allegauit. Addit l. c. pag. 23. Restat et aliud, paullo subtilioris *gewetas, luxuriantis, si fas est dicere, naturae lusus; quod nempe idem morbus in ipsissima anni constitutione varia saepe et dissimili se facie ostendat, quod ad tempora attinet principii, status et declinationis.* Praeter alia multa huius rei exempla, quaeque SYDENHAMVS et alii afferunt, legi possunt clariss. MEDICI Beobacht. aus der Arzneywiss. Th. I. vbi febrium intermittentium malignarum historiam, epidemiam et naturam describit. Alio loco (pag. 25.) SYDENHAMVS postremo, inquit, obseruandum est, quoties constitutio aliqua varias epidemicorum species parit, singulas has species genere ab illis differre, quae cum idem plane nomen portantur, alia tamen constitutione generentur. Atque haec non tantum valent de stationariis, sed eadem quoque est intercurrentium natura, si epidemici fuerint. Vid. v.g. SYDENHAMVM l. c. p. 24.

D 2

Vt

Vt autem haec differentia clarior euadat; notare liceat, symptomatum cognitorum morborum diuersitatem, quam epidemia inducit, hic absolu*i*. Primo nonnulla interdum symptomata, quae alias obseruantur in morbo, ei, si epidemicus fuerit, non insunt. Quando SYDENHAMVS in *Schedula monitor. de nov. febr. ingressu* (l. c. pag. 355) fatetur, non aliud se morbi genus eam esse credidisse, quam peripneumoniam illam notham, quam libro de Morbis acutis olim delineauerat, una hac intercedente discriminis nota, quod in hac febre subinde non compareant symptomata in peripneumonia magis pathognomonica, qualia sunt tussis vehementior, cephalalgia inter tussendum saeuissima et quasi caput diffingens, vertigo a motu quolibet et dyspnoea ingens, quae omnia peripneumoniam notham fere comitabantur: errauit quidem, quod Ipse docet, at patet tamen hinc, non insolitam rem SYDENHAMO visam esse, si in morbo epidemicō nonnulla alias solemnia morbi deficiant symptomata. Confer. *Idem* l. c. pag. 168. Accuratiora tamen exempla facile habentur, si Scripta eorum, qui epidemias delinearunt, conferantur. Sic horror symptoma est febrium intermittentium, in ea vero illarum, quam clariss. MEDICVS descripsit, grassatione, frigus tantum adesse solebat cito abitum parans (l. c. pag. 17.); sic pulsus fortis et durus symptoma est pleuritidis, nihilo minus deprehenduntur grassationes pleuritidis; eiusmodi pulsu minus stipatae. Frequentius tamen secundo symptomata in morbo epidemicō comparent, quae alias minus obseruantur. Ita, vt intanta

tanta copia vnico tantum exemplo vtar, videmus, febres intermitentes epidemicas symptomatibus variis, e. g. syncope, doloribus vix perferendis, apoplexia, affectibus somnolentia, &c. sifpari, quae alias febribus intermittentibus minus solemnia sunt. *Tertio* symptomata morborum epidemicorum ita quoque differunt, vt modo leuiori, modo grauiori in gradu adsint. Sic in ea, quam obseruauit MEDICVS, febrium intermittentium epidemia frigus minus, aestus maior solebat esse, quam vulgo obseruatur. *Quarto* duratio quoque symptomatum, quae morbis epidemicis accedunt, modo longior, modo breuior est. Sic frigus, in proposito modo exemplo, cito euaniendum reddebat, aestus diuturnior erat. *Quinto* tempore, loca, ordo et frequentia symptomatum saepè differunt. Sic SYDENHAM narrat (l.c. pag. 143.): *Oriente anno - ingressa est morbillorum species quaedam, ab ea diversa, quae - anno 1669. 1670. inuaserat; neque tamen minus epidemici faciebant hi atque isti, sed non perinde erant regulares, neque ita constanter typum obseruabant; nunc enim citius, nunc serius erumpabant, cum in alia specie eruptio in diem ab inuasione quartum semper incidet.* Addit aliam differentiam: *Ad haec humeros et caeteras trunci partes primum occupabant, cum isti alteri faciem primum peterent, et in reliquum corpus paullatim spargerentur.* Ne hac in specie obseruare licuit, nisi rarissime, eas cuticulae desquamationes ad instar farinae inspersae, quoties recederent morbilli, quae in alia specie hanc minus certo conspiciebantur, quam post febris scarlatinæ de-

cessum concipi solent. Easdem differentias circa variolas passim obseruauit, ut alia exempla mittam. *Sexto symptomata quoad malignitatem differunt, ita, ut hoc illudue symptoma modo periculosius, modo leuius sit.* De praeditis morbillis affirmat SYDENHAM: *Plures insuper e medio tollebant - . Febris enim et dysponea, quae morbillis abit, turgentibus solebant accidere, vehementiores erant, et peripneumoniam hic proprius referebant, quam in altero genere* (l. c. pag. 144.). Idem in aliis morbis epidemicis obseruat frequenter. *Septimo potest symptomata quoddam salutare in vna morbi epidemia deprehendi, quod in altera nocuum deprehenditur.* Sic dysenteriae dantur, in quibus vomitus salutaris fuit; obseruatae sunt aliae, inflammatoriae nempe, in quibus vomitus lethalem euentum praenunciabat. Qui haetenus disputata rite perpendit, non dubitat affirmare, insignes plane esse, quae, quoad morborum epidemicorum symptomata, epidemia inducit differentias. *Causa vero huius diuersitatis non adeo a subiectorum, quae morbus epidemicus inuadit, diuersitate, sed potius a differentia caussae, quae epidemiam inducit, deriuari debet, prout scilicet haec vel quoad gradum, vel quoad naturam, vel quoad plurium caussarum combinationem, vel quoad sedem, quam in corpore occupat, differt.* De qua morborum epidemicorum differentia nunc pluribus differendum est.

§. X.

§. X.

III. *Differentia morborum epidemicorum quae a causa pendet.*
Quod nemp̄ ista, quam dixi, symptomatum, in morbis epidemicis comparentium, diuersitas non a differenti subiectorum natura pendeat, vel ex eo luculentissime patet, quod morbus epidemicus, in pluribus, quae inuidit, subiectis vnam eandemque faciem prae se ferat. Quidquid ergo discriminis, quoad symptomata, in morbis epidemicis obseruatur: id omne, quatenus plurimis aegris competit, diuersitati illius caussae, quae epidemiam excitat, dandum atque adscribendum erit. Atque certum quoque est, quod morborum epidemicorum, licet nomina eadem iisdem imponantur, caussae satis sint diuersae. Et primo quidem quoad gradum. Cum enim obseruatio doceat, vnum eundemque morbum, si epidemica illius grassatio obueniat, modo malignorem esse, modo magis benignum: recte hinc concludere possumus, caussam modo maiorem, modo minorem eum producere. Dein quoad singularem naturam caussae morborum epidemicorum differant necesse est. Sic enim videmus, varias dari dysenteriarum epidemicarum species, putridas, biliosas, inflammatorias aliasque, de quibus ZIMMERMANN, in suo Tractatu von der Ruh̄r, cum fructu conferri potest. Quis hanc diuersitatem concipere potest, nisi statuat, caussas epidemicae dysenteriae sua natura valde esse diuersas? Praeterea caussae istae morborum epidemicorum differunt quoque quoad combinationem, prout scilicet vel una tantum existit, vel plu-

plures coniunctae morbum epidemicum excludunt. Sic quando aëstus intensor adest: corruptio quidem humorum inde enasci, simul vero inflammatoria diathesis produci potest. Non mirandum ergo tunc erit, quando morbus epidemicus ex putrido et inflammatorio morbo quasi compositus oriatur. Atque ita in reliquis casibus iudicandum erit, ut tamen semper obserues; Medicum in his, quae caussas morborum epidemicorum respiciunt, generalia tantum perspicere, neque posse eum sufficientem, omnibus saltim in casibus, rationem suppeditare, quare hic potius, quam aliis morbus epidemicus enascatur. Sufficiet hic ea exponere, quae humanitas sine arrogantia euincenda sibi sumere potest. Denique caussae istae quoad sedem, quam in corpore humano occupant, a se inuicem diuersae esse deprehenduntur. Sic celeberr. STARCK epidemiam petechiarum descripsit, quarum caussa haerebat in primis viis; certo certius tamen epidemicae petechiarum constitutiones dantur, in quibus petechiae ab inquinata magis massa sanguinea, quam ab affectis primis viis collectisque in his cruditatibus ortum suum ducant.

enorementum ac apoplexie §. I. XI.

IV. Epidemia, quoad durationem morborum differentiam inducit.

Saepe quoque epidemica constitutio variam morborum durationum inducit, ita, ut unus idemque morbus epidemicus modo longius duret, modo citius soluatur. Sic pestes dantur, quae citissime vel in sanitatem, vel in

mor-

mortem desinunt; dantur aliae earum epidemicæ, in quibus morbus non adeo cito aut iugulat, aut morte finitur. Atque haec vera quoque deprehendit SYDENHAMVS. Intermittentes febres epidemicas vernales citius solui obseruauit autumnalibus, atque in variolis anomalis 1674-75. similem, quoad durationem, differentiam a prioribus notauit. *Natura interim, inquit, est perdignum, quod, quanto mitior est morbi species, tanto citius pustulae ad maturitatem atque morbus ad finem perducitur.* Ita in specie ista regulari variolarum confluentium, quae anno 1667. ingressa est, dies undecimus maximum adserebat vitae discrimen, quo semel elapsa, non amplius ut plurimum aeger metuendum erat. In proxime sequenti specie anomala confluentium, quae initio anni 1670. coepit inuadere, aeger die decimo quarto, vel ad extremum decimo septimo, maxime periclitabatur, quos si aeger superquerit, saluus omnino erat, nec quemquam post hunc diem ab hoc interemptum hactenus obseruavi. At vero in hac specie confluentium aeger etiam post diem vicefimum contradicabatur - (l. c. pag. 145.). Nemo non videt, hanc differentiam a differenti cauillarum constitutione (§. anteced.) prouenire.

§. XII.

V. *Differentia morborum epidemicorum quoad subiecta, quae inuadunt.*

Datur quoque morborum epidemicorum differentia, quae a diuersitate subiectorum, morbum epidemicum contrahentium, proficiscitur et penderit. Innocuit enim per obseruata,

E

modo

modo haec, modo illa subiecta, quoad aetates, sexum, temperamenta, robur, vitae genus et morbos, quibus alias laborant, diuersa, prae aliis a morbo epidemico corripi. Singulare est, esse alicubi grassationes variolosae huius epidemicas, quae solos infantes, adulstum nullum, corripiunt. Vidi tam ipse, ante hos undecim annos, in oppido aliquo: dum adulti, morbum nondum passi, qui tunc tuti manebant, alia paullo post bieunium insequente grassatione, eaque magis communis, sat magno numero corripiebantur, (WERLHOF Disquisit. de Variol. et Anthrac. pag. 7. not. 8.). Memorat SCHREIBER: Mater peste infecta extinguebatur die morbi sexto, cum haemorrhagia narium, sine ullo alio signo. Haec, per quatuor morbi dies lactarat infantem saluum superstitem. Pluries obseruatum, nutrices, peste infectas, infantes lactasse, sine ullo horum detimento. Et alio loco: Et senes multos pestis peremit, sed sive bubonum aut carbuncularum apparitionibus. Aest infantes, octo annis iuniores, vix tetigit. Omnimaxime sunt passae mulieres, atque viris maturae virginis. Porro: Vino cremato ad ebrietatem quotidie repletis hic morbus neque pepercit - Rectissime valuerunt in peste, quibus ulceræ antiqua fuerunt - Ne unicum phthisicum pestis inua sit. (Vid. EIUS Obser. et Cogit. de Pestilent. pag. 10. 25. 26.). Quae si conferantur cum iis, quae celeberr. CHENOT de Peste notauit, magnam ostendunt, quoad subiecta corriienda, epidemiarum differentiam. Confer. EIUS Tract. de Peste, pag. 47. 48. 49. Notat enim, senes peste non facile corripi, ut ideo quoque credat, podagricos, quod

quod senes plerumque esse soleant, a peste magis immunes deprehendi; infantes facile a peste affici iudicat; vino et sp̄itu ruitosiss dediti non adeo afficiebantur. *Misit*, inquit, *in suburbium duos vespillones vrbs Corona*, *corum flagitiis et nequitie delassata*, *queis tamen pestis pepercit*. *Vbi feriabantur*, *imo et inter exportanda cadavera, vinum, aut potius spiritum vini frumentue, assidue potitabant*; *vix umquam sobrii*. Vedit quoque virum phthisi laborantem, et mulierem scabie foedatam peste correptos (l.c. pag. 47.). DEGNER testatur, nationem Gallicam a dysenteria fere immunem fuisse, et Iudeorum ne vnicum quidem cum ea lue conflictatum esse (EIVS *Histor. med. de Dysent. bilios. contag.* pag. 30. §. XXXV.). Missis alis exemplis: dictis id tantum adiudicendum esse credo, quod scilicet haec differentia *partim* a mitteri aut grauiori epidemicæ indole, *partim* a facilitate aut difficultate, qua ad hos illosque homines contagium peruenit, *partim* ab ipsa subiectorum, modo magis, modo minus ad epidemicum morbum aut caussas, quae eum ingenerare possunt, v.g. metum, dispositorum et proclivium diuersitate pendeat.

§. XIII.

VI. *Differentia morborum epidemicorum quoad curandi methodum.*

Demum pro epidemiarum diuersitate morbo epidemicō medendi methodus differens adhiberi debet. Dignissimus est, qui hic audiatur, optimus SYDENHAMVS (l.c. p. 212.). *Hoc saltem*, inquit, *pro comperto habeo ex multiplice accuratissimorum observationum fide, praedictas morborum species, praeserv-*

E 2

tim

febres continuas, ita toto, quod aiunt, coelo differre, ut qua
methodo currente anno aegrotos liberaueras, eadem ipsa an-
no iam vertente forsitan e medio tolles: quodque ibi semel
in genuinam medendi rationem, quam haec vel illa febris
species sibi vindicat, auspicato inciderem, ad eundem scopum
collimans (fauente, vt sit, optimo Numine), metam quasi
semper attingam, respectu ad temperamentum, aetatem et
reliqua eiusmodi usquequaque habito, donec extincta illa spe-
cie nouoque gliscente malo, anceps rursum haereo, qua mihi
via inservendum, vt argris subueniam, ac proinde nisi in-
genti adlibita cautela, intensisque omnibus animi nervis,
vix ac ne vix quidem possim efficere, ne unus aut alter co-
rum, qui se primi meae curae commiserint, vita periclitetur,
donec, inuestigata iugiter tandemque perspecto morbi genio, ad
eundem perdomandum recto pede et intrepidus denuo pro-
cedam. Similia testatur pag. 23. passimque in Scriptis suis
exempla huius rei affert. Sic SYDENHAMVS obseruabat
anno 1668. dysenteriam, cui vt dysenteriae mederi non de-
bebat, sed vt febri potius variolosa; ita quoque pleuriti-
dem obseruavit, in qua venae sectiones longe parciores in-
stittui debebant, quam alais sollemne est. Alii obseruarunt
similia. ZIMMERMANN in ea, quam descripsit, dysente-
riae specie, emetica et laxantia optima et salutifera deprehen-
dit; alii obseruarunt, dysenteriam hinc magis irritari (Illustr.
de HAEN Dizis febr. pag. 108.). Plures etiam obseruarunt,
in peste, petechiis aliisque similibus morbis epidemicis, eme-
tica salutifera esse, in aliis autem eorum morborum epide-
miis

miis lethum accelerarunt. In variis huius illiusue morbi epidemiis sudorifera minus conducunt, in aliis maxime salutaria visa sunt. Neque quoque hanc, quam nunc innuimus, morborum epidemicorum differentiam mirabitur, qui in superioribus dicta rite perpendit. Cum enim morbus epidemius ipse, pro epidemiae diuersitate, eiusque caussa differat; varia omnino ei medendi ratio requiritur. Atque, ut exemplum adducam, quis non videt, pro diuersa, quam morbi epidemici causa in corpore occupat, sede, differentem medendi methodum adhibendam esse? Nonne si petechiarum aut pestis caussa primis in viis resideat, emetica lenioraque laxantia conducent, sudorifera contra ea nocua erunt? Nonne contra ea sudorifera conducent, emetica vero et laxantia nocua erunt, quando corrupta sanguinis massa morbum producit?

§. XIV.

Quid ex pertransfatis colligi queat, exponitur.

Quodlibet nunc morbi epidemici ea sit natura, ut non solum ab aliis dissimilibus morbis, sed etiam a se inuicem differat, quando plus vice simplici grassatur, quod haec illius differentia naturam eius, symptomata, caussas et methodum medendi, prout hactenus ostendimus, respiciat: quam maxime sane cauendum, ne, quod una epidemia docuit, ad alias eiusdem morbi epidemias actutum applicemus, omniaque, quae alii docuerunt, ad nostra circa huius illiusue morbi epidemiam instituta obseruata, tamquam ad Iydiū lapidem, reuocemus, id quod non nisi tunc iustum rectumque

E 3

ha-

haberi potest, quando demonstratum prius fuit, nostram epidemiam cum ea, quam alius obseruauit, vel plane conuenire, vel saltim eatenus consentire, quatenus eam cum nostra comparamus adque hanc referimus. Cauendum quoque, ne, obseruantes hanc illamue morbi cuiusdam epidemiam, eius generalem hinc naturam omni ex parte dimetiamur. Dantur quidem immutabiles quaedam morborum conditiones, quae numquam a morbo separari possunt (§. II.); sed sunt quoque aliae morborum qualitates, quae remitti, intendi, aut plane abesse possunt. Illae cum morbo semper inesse debeant, a nulla etiam, quaecunque demum sit, illius epidemiam separari possunt; haec vero, cum mutationi subiectae sint, mirifice alterari possunt, et, pro diuersitate epidemiae, satis diuersa comparere facie. Has itaque numquam ab una ad alteram epidemiam transferre debemus. Liceat exemplum dictorum adiicere. Obseruavit celeberr. STRACK epidemiam petechiarum, a primis viis oriundarum et purgantibus satiis fortibus curandarum. Durum nimis esset, si obseruata eius, quae dictorum veritatem luculenter ostendunt, in dubium quis vocare vellet. Quando autem Vir celeberrimus hacc sua obseruata nimis facile ad petechiarum generalem et naturam et curandi methodum applicare videretur: a veritate recedit, cum mutabiles quasdam eius epidemiae, quam obseruavit, conditiones aeternas in morbo petechiali fecerit, quod fieri non debebat.

§. XV.

§. XV.

Historiae morborum epidemicorum non sunt inutiles.

Nonne vero haec, quae diximus, eo nos adducere debent, ut credamus, inutile plane onus suis humeris imposuisse Medicos, qui historias morborum epidemicorum tradiderunt? Cum enim morborum casus et historiae eo fine conscribi solent, ut habeamus, quae imitemur; ex dictis vero §. anteced. constet, nec naturam, nec methodi medendi illius morbi, cuius nunc obseruamus epidemiam, ad aliam eius constitutionem applicari posse: quid quaeſo, iuuat, morborum epidemicorum historias tradere? quid refert, eas multo studio perlegere? Respondeo ad haec: 1. Medicus, qui philosopham naturalem ad corpus humanum applicat, caueat, ne quidquam contemnatur, quod corpus humanum miris modis et multiplici ratione alferat. Quaecumque epidemias nonnulla expeditare potest, quae Medico notanda sunt. 2. Licet epidemiae morborum adeo diuersae sint; possunt tamen quoad has illasue conditiones sibi similes esse, propiusque ad se inuicem accedere, tuncque nil impedit, quo minus nonnulla ad alias epidemias transferantur. Laudauit SYDENHAMVS in anomalis, quas obseruavit, variolis, acida mineralia diluta, atque haec in aliis quoque nonnullis grauissimis variolis exhiberi possunt. 3. Credit SYDENHAMVS, fieri posse, ut epidemiae passim, elapsis aliquot annis, redeant. Cum, an verum fallimur id sit, nondum constet: Medicos eo admitti oportet, ut quaevis grauior et notabilior epidemias recte describatur, ne accurata obseruata et per experimenta detecta medendi methodus deficiat, si forsitan accidit, ut morbus epidemicus, qui quondam grassatus est, redeat. 4. Historiae morborum epidemicorum eam quoque utilitatem afferunt, ut natura et actio variorum remediorum melius intelligatur. Multicudo aegrorum, quos epidemias afficit, optimam plures

res circa eam rem instituendi obseruationes occasionem subministrat. Ex quibus ergo disputatis luculenter appetet, optime de re medica genereque humano mereri, qui morborum epidemicorum historias consignant; optandum modo, ut ii solum difficulter hanc operam in se suscipiant, quibus iudicium, quod dicunt, practicum inest et veritatis studium.

§. XVI.

Ad questiones nonnullas respondetur.
 Quare sit, ut regnans morbus epidemicus alias morborum species, quando grassatur, in suam quasi ditionem saepe redigat? Quando eiusmodi morbus, qui praecipuus est, epidemice gralatur: valida eius caussa sit, necesse est. Quam facile ergo fieri debet, ut alios morbos epidemicos vel superet, atque ad abitum quasi cogat, vel suae propriae naturae accomponet! *Cur morbi epidemicci frequentiori grassatione mitiores sunt, multis saltem in casibus?* Intelligitur magis magisque morbi natura; saepe tentata pericula ad optimae methodi, eidem medendi, inventionem viam pandunt; virus forsitan istius morbi successiue decrescit, prout de miasmate venero statuunt; forsitan corpora ipsa humana frequentia epidemiac interdum magis insensilia erga illius caussam redduntur. Non omnium tamen morborum epidemicorum malitiam grassationis frequentia decrescere, variolae et morbilli testari possunt! *Licetne assumere, eandem morbi cuiusdam epidemiam redire posse?* Cum variae epidemiae ab eiusmodi caussis, v.g. cibis, pendeant, quae redire possunt: nullum est dubium, quin epidemia ipsa redire queat. An vero iste redditus statim quodam tempore in nonnullis contingere queat? ego quidem dirimere non ausim, cum SYDENHAMVS, accuratisinus Observator, hanc rem in medio relinquit.

ULB Halle
001 516 159

3



56

WIP



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

DIFFERENTIIS MORBORVM

QVAE

CONSTITVTIONI EPIDEMICAE

DEBENT VR

QVAM

INDVLTV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. ET PHILOSOPH. H. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIO. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. XIX. DECEMBER. A. R. S. CIC 1768.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

IOANNES GOTTLIEB HINCKE

VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

11.12.2018